



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Vera sententia statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

suprà annotavimus : cum quo stat aliquos non habuisse in vita præfenti talem fidem ; proindeque eis non fuisse necessariam , ut mererentur suam beatitudinem . Sed

Respondetur tertio , & melius , nemini ante adventum Christi concessum fuisse quod esset iustus , nisi cui revelatus est Christus , revelatione vel explicatâ , vel implicatâ : sicut enim fides Christi distingui potest in explicatam , & implicatâ , ita & eius revelatio , utpote cum Deus revelando explicatâ seipsum , ut autorem supernaturalem , justificatorem , & remuneratorem , eo ipso Christi ut mediator virtualiter & implicite revelaret . Quod autem hæc interpretatio sit legitima , & Augustinus de fide , & revelatione Incarnationis duntaxat implicita intelligi debeat , patet ex alio eius testimonio : nam idem S. Doctor lib. 2. contra Pelagium & Cælestium , qui est de peccato originali , cap. 24. ait : *Sine fide Incarnationis , & mortis , & resurrectionis Christi , neque antiquos salvi , ut iusti essent , à peccatis potuisse mundari , & Dei gratiâ iustificari , veritas Christiana non dubitatur* : At fere apud omnes certum est , fidem explicatam Passionis & Resurrectionis Christi , in his qui sub lege naturæ , & sub lege scripta vivebant , ad salutem non fuisse necessariam . Ergo patet , juxta Augustini Doctrinam , fides explicata Incarnationis ad eorum salutem non esse necessariam , sed sufficiebat implicita , quæ in fide Dei , ut provisoris supernaturalis , continetur .

Ad locum D Thomæ dico , ex eo duntaxat concludi , quod omni tempore oportuit aliquos habere fidem explicatam in Christum , nempe (ut se explicat in corpore articuli) tempore legis scriptæ , & legis naturæ , majores , sive doctiores : ceteros minores , sive rudiores , potuisse tunc salvari sine tali fide , ut idem S. Doctor , locis suprà adductis , expressissime & clarissime docet .

Obijcit tertio : Maxime conveniens apparet , quod sicut Christus est mediator Dei & hominum , causa moralis meritoria salutis humana , & principium justificationis , & glorificationis , sic omnes iustificentur & glorificentur in ordine ad ipsum , sive dependent ab illo , ac proinde per actum fidei in ipsum explicite cognitum , qui actus sit necessarius necessitate mediæ , ita ut nullus sine ipso iustificatus unquam fuerit . Ergo tam in lege naturæ , quam in lege scripta , fuit necessaria ad salutem fides aequaliter explicata Redemptoris futuri .

Respondetur ex dictis , quod licet Christus sit causa salutis universalissima in genere meriti , ita ut nullus unquam hominum , sive in statu legis naturæ , sive in statu legis scriptæ , sive in statu legis gratiæ , absque illius meritis salutem sit affecturus : non tamen hinc colligi potest , ejus fidem explicatam fuisse in primo & secundo statu necessariam in ratione mediæ ad salutem & justificationem : ad hoc enim ut in statu legis naturæ , & in statu legis scriptæ , homines influxum gratiæ à Christo venturo , & in mente ac decreto Dei existentes , moraliter reciperent , sufficiebat quod ipsi moraliter unirentur , & incorporarentur per fidem implicitam in ipsum : alioquin , ut suprà dicebamus , rudioribus , qui fide explicatâ in Christum carebant , defuissent media simpliciter necessaria ad salutem ; quod tamen de tanta hominum multitudine non est credibile .

ARTICULUS V.

Utrum post Christi adventum , & legis Evangelicæ promulgationem , fides explicata Incarnationis , & Trinitatis , sit necessaria ad salutem , necessitate mediæ

Negant ex Thomistis Soto , Javellus , & Serra , & ex extraneis Suarez , Delugo , Martinus , & alij . Affirmant Joannes à S. Thoma , Philippus à S. Trinitate , Valentia , Medina , Du Vallius , & Coninckus . Canus verò refectione de Sacramentis in communi , & Bannez hic art. 8. duplicem distinguunt salutem , unam inchoatam & imperfectam , quæ in justificatione à peccato sita est ; alteram perfectam & completam , quæ in æterna beatitudine consistit ; & dicunt ad primam quidem sufficere fidem implicitam mysterij Trinitatis , & Incarnationis , sed ad secundam necessario necessitate mediæ requiri fidem explicatam utriusque mysterij .

§. I.

Veræ sententia statuitur .

Dico tamen , post sufficientem legis Evangelicæ promulgationem , fides explicata mysterij Incarnationis , & Trinitatis , necessaria est necessitate mediæ ad utramque salutem , id est ad justificationem , & ad æternam beatitudinem .

Ut facilius intelligatur hæc assertio , duo distinguenda sunt tempora , unum quod intercessit inter mortem Christi , & sufficientem Evangelicæ promulgationem ; aliud vero , in quo lex Evangelica sufficienter fuit per totum orbem promulgata . In priori tempore , non fuit necessaria fides explicata Incarnationis , & Trinitatis , saltem necessitate mediæ : tunc enim qui nihil de Christo audierant , neque audire poterant , in eodem statu erant , ac qui ante adventum Christi vivebant ; quia etsi lex Evangelica jam esset à legislatore condita & confirmata , nihilominus defectu sufficientis promulgationis ubique terrarum adhuc non obligabat , vel saltem , quod præcipue intendimus , lex illa non erat adhuc medium ad salutem omnino necessarium . Igitur quemadmodum illis , qui ante adventum Christi vivebant , fides divinæ providentiæ supernaturalis , quæ Deus genus humanum à miserijs & peccatis liberare volebat , satis erat ad justificationem & salutem , ut articulo præcedenti ostendimus : sic etiam in illa temporis intercapedine , quæ inter mortem Christi , & sufficientem Evangelicæ promulgationem intercessit , fides explicata Incarnationis & Trinitatis non fuit in ratione mediæ ad salutem omnibus hominibus necessaria . Unde in hac conclusione loquimur solum de tempore illo , in quo lex Evangelica sufficienter per totum orbem promulgata fuit . Hoc præmissis .

Probatum primo conclusio ex scriptura Sacra : nam Marci ultimo fides Evangelica , quæ sine dubio fidem explicatam Incarnationis & Trinitatis includit , ad salutem ante omnia alia exigitur : *Prædicare Evangelium omni creaturæ qui crediderit , & baptizatus fuerit , salvus erit : qui verò non crediderit , condemnabitur* . Quæ

29 ij verba

verba expendens D. Bernardus Epist. 77. subdit: *Cautè igitur & vigilanter non repetitur: Qui verò baptizatus non fuerit, sed tantum, qui verò non crediderit, condemnabitur; innuens solam inter- dum sufficere fidem ad salutem, & sine ipsa suffice- re nihil.* Quibus verbis aperè declarat, fidem Evangelij (quæ ut diximus cognitionem expli- citam Incarnationis & Trinitatis includit) esse magis necessariam, quàm baptismum, & nullo modo supplebilem, subindeque esse medium om- nino necessarium ad salutem. Unde Joan. 3. dicitur: *Qui non credit in eum, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei, id est, quia non accepit fidem Christi, quæ in nova lege est certissimum, & unicum salutis reme- dium; sicut in antiqua Israëlita, à serpentibus læsi, aliter sanari non poterant, quàm aspectu serpentis anei, quem Moyses iussu Dei erexit in deserto.*

69. Probatur secundo conclusio ex Tridentino, sess. 6. cap. 6. ubi loquens de dispositione ad iustificationem, & de ijs quæ ad illam obtinendam debent credi, ait: *Libère moventur in Deum, cre- dentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo iustificari im- pium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Ubi ponderandum est ly in pri- mis: nam si hoc credere de redemptione in Chri- sto Domino, est in primis necessarium, nihil est magis necessarium, quàm illud: Ergo fides explicita de Christo, in statu novæ legis, inter prima credibilia ad salutem necessaria numeratur, subindeque ad iustificationem, & beatitudi- nem consequendam, necessitate mediij necessaria est. Unde idem Concilium ibidem cap. 8. ait ho- minem iustificari gratis per fidem hanc, de qua loquitur Apostolus ad Roman. 3. cum ait: *Quem proposuit Deus propitiatorem pro peccatis per fidem in sanguine ipsius, quæ utique est fides explicita Christi ut Redemptoris: subditque talem fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum, ac radicem omnis iustificationis, sine qua impossi- bile est placere Deo, & ad filiorum eius confor- tium pervenire: unde cum radix plantæ, & fun- damentum ædificio, necessitate mediij necessaria sint, ita ut absque radice nec illa vivere possit, ne- que illud absque fundamento subsistere; sic nec aliquis vita supernaturali gratiæ vivere, nec in vitam æternam ædificari potest, absque fide in Christum mediatorem; quæ idcirco ab Apostolo substantia, id est basis, seu fundamentum, Græcè πύλος rerum sperandarum, definitur.*

70. Probatur tertio ex SS. Patribus, qui apertè fa- vent nostræ sententiæ: Augustinus enim in libro de corrept. & gratia, cap. 7. sic ait: *A damnatio- ne se non liberabunt, qui dicere poterunt, se non audivisse Evangelium.* Et infra: *Quicumque ab illa generali damnatione ista divina gratia largi- tate discreti sunt, non est dubium, quod & procura- tur Evangelium audiendum, & cum audiunt, credunt.* Ubi apertè supponit fidem Evangelicam, at- que adeo explicitam Incarnationis & Trini- tatis cognitionem, esse prorsus ad salutem ne- cessariam. Item in libro de spiritu & littera cap. 29. hæc scribit: *Fide Iesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quan- tum perficienda expectatur in spe.* Similiter Hiero- nymus in cap. 1. ad Ephes. dicit: *Non ante filij esse possumus, quàm filij eius Iesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus.* Et in cap. 3. ait: *Fi- ducia, atque accessus ad Deum principium & origo,*

A fides in Christum est. Denique Hugo Victorinus lib. 1. de sacramento parte 10. cap. 5. aliter para- tæ redemptione non minis esse necessarium, credere in Deum redemptorem, quàm ab initio, peracta creatione, necesse fuit credere in Deum creatorem: Sed ab initio fuit semper necessarium, necessitate mediij, credere explicitè in Deum creatorem, ut art. 3. ostendimus: Ergo nunc in lege nova, peracta Incarnatione, eadem necessi- tas, ad salutem necessarium est credere in Chri- stum redemptorem.

Probatur quarto ex D. Thoma, qui etiam ma- nifestè docere videtur eandem sententiam. Nam in 3. dist. 25. quest. 2. art. 2. questio. 2. hæc scribit: *Post adventum Christi, quia iam myste- rium redemptionis impletum est, & corporaliter, & visibiliter predicatum, tenentur omnes ad creden- dum explicitè, & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret.* Ergo sentit hanc fidem explicitam esse necessariam necessitate mediij ad salutem; aliàs enim, si al- quis instructionem non haberet, sine illa posset iustificari, quod si Doctor non admittit, sed re- currit ad extraordinarium modum instruendi, qui tunc esset debitus.

Ad hæc & similia Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimonia, respondent aliqui, in- duntaxat probari, fidem Christi explicitam esse necessariam in voto, non tamen in re: dicunt ve- rò illam haberi in voto, quando quis ex fide mu- us Dei provisoris supernaturalis, charitatem & contritionem de peccatis concipit; tunc enim i- ta affectus est, ut si Christi Incarnationem audiret, ei incunctanter crederet.

Sed contra primò: Si ita esset, sequeretur in lege gratiæ fidem Christi non esse magis neces- sariam ad salutem, quàm lege naturæ, vel in lege scripta; nam ut articulo præcedenti ostendi- mus, in his duabus legibus fides Christi eo modo sufficiebat, quatenus nempe mediator in fide di- vine providentiæ implicite credebatur: Sed hoc dici nequit, ut patebit probatione sequenti: Ergo nec illud.

Secundò, Si in nova lege fides Christi explicita in voto sufficeret ad salutem, illa non esset magis necessaria, quàm baptismus, cum baptismus in voto ad salutem sufficiat: Sed hoc repugnat D. Bernardo supra relato: Ergo & illud.

Tertiò, Si in nova lege ad salutem sufficeret habere in voto fidem explicitam Incarnationis, virtualiter & implicite contentam in fide Dei ut provisoris supernaturalis, falsum esset quod docet S. Thomas supra relatus, nempe quod si al- quis invincibiliter ignoraret mysterium redem- ptionis, & nullam de illo haberet instructionem, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa hoc impe- dit: nam modus ille extraordinarius instructio- nis non esset debitus, nec ad salutem necessarius, ut patet. Unde Augustinus de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. loquens de Cornelio, ad quem instruendum missus est Petrus, ait: *Si posset (inquit) sine fide Christi salvus esse, non ad eum edificandum mitteretur Petrus architectus.* Ergo &c.

Denique Christus Joan. 15. dixit: *Credite in Deum, & in me credite.* Ubi æquiparat in nova lege fidem de seipso ut Redemptore fidei que est de Deo ut Creatore, & universali Provisoro: Sed hæc indubitanter, non solum in voto, sed etiam in re, requiritur ad iustificationem & salutem, ut art. 3. contra Vegam ostendimus: Ergo & illa. Unde

Unde Lovanienſes aqua Tapperum art. 8. ſic di-
cunt: Ante iuſtificationem, ante omnia neceſſaria ſun-
t: adultæ fides, quæ credimus Chriſtum Ieſum Dei Fi-
lium nobis propitiorem à Patre proptitum eſſe pro pec-
catis noſtris, in ſanguine ipſius, ſine qua fide nullis no-
bis operibus, nullâque penitentiâ, iuſtification poſſe ob-
tineri.

Probatur quinto conclusio ratione fundamen-
tali. In lege gratia, post sufficientem Evangelij
promulgationem, debet haberi perfectior cogni-
tio, subindeque perfectior fides Christi Redem-
ptoris, quam ante legem gratia; hoc enim exi-
git perfectior status legis gratia, in quo vela-
men, positum super caput fidelium, sublatum di-
citur, iuxta illud Apostoli ad Galatas 3. Ante-
quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in
velamento, quia revelanda erat; et illud ad Ephes. 3.
Intra generationibus non est agnitus mysterium Chris-
ti, nunc revelatum est: Sed in statu legis natu-
rae, et legis scriptae, necessaria fuit, necessitate
medij, fides implicita Christi Redemptoris, ut
patet ex dictis articulo praecedenti: Ergo fides
explicita de Christo redemptore, est eodem mo-
do necessaria in statu legis gratiae, post sufficien-
tem Evangelij promulgationem.

Ex his confutata, manet singularis sententia
Canis & Bannis: testimonia enim Scripturæ, Con-
ciliorum, & Patrum, suprà relata, non solum de
fide perfecta, & confirmata, quæ est beati-
tudinis, sed etiam de imperfecta & inchoata, qualis est
iustificatio, loquuntur, præsertim illa quæ ex
Tridentino adduximus. Ergo ad utramque salu-
tem fides explicita Christi Redemptoris neces-
sitate medijs requiritur. Adde quod, cum homo per
gratiam iustificatum reddatur filius adoptivus,
& hæres Dei, ac proinde habeat jus ad gloriam,
tanquàm ad hereditatem, ipsaq; gratia iustificans
Joan. 4. dicitur fons aquæ salutis in vitam æter-
nam: ubi dolum videtur afferre, posse aliqua ad
iustificacionem sufficere, quæ tamen ad æternam
salutem non sufficiunt. Unde vel dicendum est,
fidem explicitam Incarnationis non esse necessa-
riam necessitate medijs ad obtinendam beati-
tudinem, quod Canis & Bannes non admittunt; vel
asserendum, fidem implicitam hujus mysterii
non sufficere ad iustificacionem.

Confirmatur, & magisvis hujus rationis expeditur. Supponamus adultum adeptū justificationis gratiā statim mori, antequam fidem explicitem incarnationis habuerit, quæro ab illis Auditoribus; an ille æternam beatitudinem consequatur, vel non? Si primum dicant, sequitur aliquem non solum primam, sed etiam secundam salutem, posse sine explicita fide Christi Redemptoris obtinere; quod illi non admittunt. Si verò secundum asserant, sequitur filium Dei adoptionis, ejusque hæredem, ab æternæ felicitatis hæreditate excludi; & jure hæreditario, quod ad illam ratione gratiæ justificantis habet, fraudari; quod absurdissimum est, & repugnat Tridentinæ, sess. 6. cap. 16. dicente nihil deesse justificatis, quominus suo tempore, si in gratiā decesserint, vitam æternam consequantur.

71. Respondet primò Canus, impossibile esse, hominem illum justificatum mori, antequam fidem explicitam mediatoris acceperit.

Sed contra: Homo ille est mortalis, illumque
sicut et alios omnes, infinita mortis pericula cir-
cumsunt, & si secundum cursum causarum natu-
ralium, statim ab aedepa sua iustificatione mori
debeat, non est cur Deus, propter unius privati

A hominis salutem, cursum illum generalem perturbare debeat; pro salute enim multitudinis innumerabilis parvulorum, sine baptismo decedentium, eum ordinem non perturbat: Ergo multo minus pro salute unius id faciet, & vitam ejus diutius protrahet, ut finem mediatoris explicat assequatur.

78.
 Respondet secundò, quod si moriatur homo
 ille statim ab adepta sua justificatione, continuo
 ut à corpore solvetur ejus anima, antequam bea-
 titudine aeternâ perficiatur, discet explicitè my-
 sterium Incarnationis.

Sed contra: Si hoc sufficeret, ut fides explicite
B Incarnationis esset necessaria ad ultimam salutem, necessitate medijs, sequeretur quod illa non alio modo esset ad salutem necessaria adultis, quam parvulis: cum etiam animæ parvulorum, post baptismum à corpore soluta, statim explicitè cognoscant mysterium Incarnationis: Sed hoc videtur absurdum. Ergo & illud.

Ex dictis etiam manifestum relinquitur, cognitionem explicitam mysterij Trinitatis esse in nova lege necessariam necessitate medij ad justificationem & salutem: nam ut discurret D. Thomas hic art. 8. *Mysterium incarnationis Christi explicitè credi non potest, sine fide Trinitatis: quia in mysterio incarnationis Christi hoc continetur, quod*
C *Filius Dei carnem assumpserit; quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit; & iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit; & idè eodem modo quo mysterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à maioribus, implicite autem & quasi adumbratè à minoribus, ita etiam & mysterium Trinitatis. Et idè etiam post tempus gratia divulgata tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis, & omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundum illud Matth. ultimo: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Confirmatur: Ut viator ad terminum perve-
niat, debet & locum ad quem tendit, & viam quā
ad illum itur, cognoscere: Sed terminus ad quem
per fidem tendimus, est clara visio Dei unius &
Trini, Christus vero est via per quam ad illum
itur, iuxta illud: Ego sum via, veritas, & vita, &
lucidus: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salva-
bitur. Ergo cognitio mysterij Trinitatis, & In-
carnationis, est medium necessarium ad beati-
tudinem consequendam.

Confirmatur amplius: *Mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis, sunt, principale ob-
jectum visionis beatificæ in patria, juxta illud
Chriiili Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognos-
cant te Deum verum, & quem misisti Iesum Chri-
stum: Ergo & fidei in via; huic enim respondet
ipsa visio, juxta illud Psalmi 47. Sicut audiuimus
(hic per fidem) sic vidimus in civitate Domini vir-
tutum.*

Ex his intelliges, falsam esse & erroneam sententiam quorundam recentiorum Casuistarum, docentium abolitionis capacem esse hominem, et si nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini : si enim explicita utriusque mysterij cognitio ad primam & ultimam salutem, id est, ad justificationem & beatitudinem, necessitate mediæ requiratur, manifestum est eos, qui illa mysteria penitus ignorant, non posse justificari, subindeque esse incapaces abolitionis sacramentalis, donec de illis suffi-

cienter instructi fuerint. Unde Academia Lovanienfis, ad instantiam Archiepiscopi Mechlinienfis, doctrinam illorum Casuistarum reprobavit, & gravi censurâ notavit.

83. Obiter tamen advertendum est, non esse necesse ad recipiendam absolutionem à peccatis, & obtinendam justificationem per sacramentum poenitentiae, distinctè cognoscere illa mysteria; eorum quippe distinctus conceptus difficilissimus & obscurissimus est; sed satis esse illa quoad substantiam credere: sufficit enim explicitè credere Filium Dei fuisse incarnatum, & non requiritur ut sciatur unionem esse factam in supposito, non in natura. Similiter sufficit explicitè credere, esse unum Deum, & tres Divinas Personas, quarum una est Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus; non est verò necessarium scire explicitè, Filium esse Verbum, & procedere per cognitionem, & Spiritum Sanctum esse amorem, & procedere per voluntatem. Unde D. Thomas hic art. 7. ait *Alias subtiles consideraciones circa Incarnationis articulos (idem dicendum de Trinitate) tenentur aliqui magis vel minus explicitè credere, secundum quod convenit statui & officio unuscuiusque.*

§. II.

Solvuntur obiectiones.

84. **O**bjicies primò: Illud non est necessarium ad justificationem necessitate medijs, sine quo homo potest justificari: Sed in nova lege homo potest justificari absque fide explicita Incarnationis: Ergo talis fides non est necessaria necessitate medijs ad justificationem. Major patet: Minor probatur primò exemplo Cornelij: *Ille enim, ut ait D. Thomas infra quæst. 10. art. 4. ad 3. habebat fidem implicitam Christi, nondum manifestatâ Evangelij veritate, unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus. Idem docet. 3. p. quæst. 69. art. 4. ad 2. ubi dicit, quod Cornelius, & alij similes, consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicitè, vel explicitè: postmodum tamen in baptismo maiorem copiam gratiae & virtutum consequuntur.*

85. Secundò probatur eadem Minor: Si homo nutritus in sylvis, vel apud barbaras Gentes educatus, ubi nihil unquam audivit de Evangelio, nec audire potuit, sequeretur ductum rationis naturalis in fugam mali, & prosecutionem boni honesti, ille justificaretur à Deo, ut supra art. 3. dicebamus. Sed ille tunc non haberet fidem explicitam mysterij Incarnationis & Trinitatis, cum nihil unquam de illis audivisset: Ergo homo potest justificari sine fide explicita mysterij Incarnationis & Trinitatis. Simile argumentum fieri potest de puero perveniente ad primum instans vsus rationis: si enim ille tunc se convertat in Deum ut Authorem naturæ, eligendo sequi bonum honestum & rationi consonum, justificabitur; si minus peccabit mortaliter, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 6. Atqui in illo instanti non potest instrui, seu illuminari de Incarnationis & Trinitatis mysterijs, sed ad hoc aliquod tempus requiritur; cum modus intelligendi plura in unico instanti non sit humanus, sed angelicus, præsertim in illo primo instanti vsus rationis, in quo nimis confusè homo intelligit: Ergo puer in illo instanti, per solam fidem implicitam Incarnationis & Trinitatis, justificari potest.

86. Tertiò suadet eadem Minor: Catechumenus,

qui successivè docetur de rebus fidei, prius audiens Deum esse, & remuneratorem, ac provisorium supernaturalem, poterit elicere actum fidei, & in Deum ut Authorem supernaturalem credere: postea autem cognitione supernaturali Dei, potest actum dilectionis Dei, ut est finis supernaturalis, elicere; unde cum actus charitatis cum peccato stare nequeat, ille antequam quidam de Incarnatione & de Trinitate audiat, subinde antequam illa mysteria explicitè credat, justificari poterit.

Denique probatur eadem Minor: Inter Christianos sunt aliqui homines adeò rudes, & stupidi, ut mysteria Incarnationis & Trinitatis vero conceptu apprehendere non valeant, nec per consequens ea explicitè credere. Idè est de multis, ac furdis à nativitate, vix enim possibile est nutibus ac signis eos instruere de substantia horum mysteriorum, ut ea explicite credant. At illi possunt justificari, alioquin ipsis neganda esset absolutio, & alia Sacramenta, quamvis faceret quod in se est, ut quæ tenentur scire addicerent. Ergo sine fide explicita Incarnationis, & Trinitatis, qui illa mysteria invincibiliter ignorant, justificari possunt.

Aliqui ex nostris Thomistis, ut ab his difficultatibus se expediant, docent, quod quamvis per se loquendo homo, post sufficientem Evangelij promulgationem, sine fide explicita Incarnationis & Trinitatis justificari nequeat, interdum tamen per accidens, absque tali fide, justificationem gratiam obtinere potest, per solam fidem explicitam Dei, ut auctoris & provisoris supernaturalis. Quod ut magis explicent, dicunt duo esse genera medijs, quæ sunt ad salutem necessaria; quædam ex natura rei talia sunt, ut gratia & charitas; & sine illis nunquam homo, etiam per accidens, & suppositâ ignorantia invincibili, justificationem & salutem consequi valet: alia sunt talia tantum ex institutione & voluntate Dei, ut Baptismus vel Poenitentia, & sine illis in re habitis salus interdum obtineri potest, per solum votum & desiderium ipsorum; & huius generis dicunt esse in nova lege fidem explicitam mysterij Incarnationis & Trinitatis.

Sed hæc solutio & doctrina displicet: tum quia supra ostendimus, post sufficientem Evangelij promulgationem, fidem explicitam Christi esse ad justificationem & salutem necessariam, non solum in voto, sed etiam in re: tum etiam quia ex illa sequeretur, hominem per accidens, & in aliquo casu extraordinario, posse consequi salutem, absque fide explicita Dei, ut Creatoris & Auctoris supernaturalis, cum talis fides non sit medium ex natura rei ad salutem necessarium, sed tantum ex institutione & voluntate Dei, qui posset, si vellet, homines justificare & salutare absque tali actu, & per fidem explicitam aliorum attributorum. Addo quod, si homo post sufficientem Evangelij promulgationem, per accidens absque fide explicita Incarnationis justificari posset, inutiliter omnino D. Thomas, supra relatus, recurreret ad modum extraordinarium instructionis in illis qui nihil unquam audierunt, vel audire potuerunt de Evangelio, ac inutiliter doceret, quod si aliquis instructionem de mysterio redemptionis non haberet, Deus illud ei revelaret, nisi ex sua culpa impediret: talis enim modus extraordinarius instructionis non esset necessarius ad justificationem, ut de se patet. Unde de hac solutione prætermittam.